

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538919**

LX. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Oscheoentero Et Bubonocèle  
Helvetiæ Incolis Frequentibus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16590**

L X.

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,

D E

OSCHEOENTERO

ET BUBONOCELE HELVETIÆ

INCOLIS FREQUENTIBUS.

*Quam Palam Tuebatur*

JOH. HENR. FREYTAG,

TIGURINUS.

Argentorati die 6. Maii anno 1741.



IX  
D I S S E R T A T I O  
M E D I C O - C H I R U R G I C A

D E  
O S C H E O E N T E R O  
E T B U B O N O C C I E H E L V E T I C A  
I N C O L I S F R A E Q U E N T I B U S

Quam Petrus Trebatius

J O H A N N E S F R E Y T A G  
F I G U R I N U S

Argentorati die 6 Julii anno 1757



## §. I.

**O**Mnium fere morborum familiarissimus, præsertim in Helvetia, est *Hernia*, *Ramex* sive *Ruptura*, vel etiam juxta *Castellum*, *Creptura*, Græcis *Κήλη* dicta, quæ vox præcipue significat tumorem tum scroti, tum inguinum, tum etiam regionis umbilicalis &c. proveniente[m] partim à dilatatione, partim à dilaceratione peritonæi, per quam intestinis porta exeundi panditur. His enim à causis potissimum formatur ille tumor, qui medicorum in scholis *hernia* &c. Germanice vero *Ein Bruch* vocatur.

## §. II.

Differunt autem herniæ tam ratione contenti, quam ratione loci, quippe quorum respectu alio semper nomine etiam veniunt. v. g. si in regione umbilicali deprehenditur hernia, *omphalocele*, si in inguinibus sive bubonibus *bubonocele*, si autem in scroto, *oscheo-enterocele* audit, quæ singulæ ut plurimum ex intestinis, aqua identidem & omento conjunctis constant. Ratione contenti vero considerata hernia varias quoque species sub se complectitur. e. g. *Sarcocelen*, *hydrocelen*, *circocelen*, *epiplocelen*, *enterocelen*, *pneumatocelen*: non autem animus est de omnibus herniæ generibus loqui, sed saltim de *oscheo-enterocele* & *bubonocele*, quoniam frequentius ac aliis in locis apud Helvetiæ ruricolos occurrunt, pauca differere & pro ingenii modulo examinare constitui.

## §. III.

Prius vero, quam de harum herniarum causis verba faciam, necessarium erit dicere, quid proprie hæc herniæ, scrotalis scilicet & inguinalis sint. Est autem ista *oscheocele intumescencia* sive *repletio scroti ab intestinis potissimum per dilatationem annulorum & extensionem sive dilacerationem duplicaturæ peritonæi unius alteriusve seu quandoque utriusque lateris prolabantibus facta*; hæc vero, nempe *bubonocele* seu *inguinalis* est, quando *intestina in scrotum nondum sunt elapsa, sed tantummodo in inguinibus hærent*; & hac de causa ab *oscheoenterocele* etiam distinguitur, & vocatur *incompleta*, illa vero *completa*.

## §. IV.

Causas itaque recensitarum herniarum quod attinet, illarum inter præcipuas, lac & fortiores labores violentiamve existere, asserere non dubito. Dum enim istud lac vel ejus serum, quod incolæ imprimis montium loco

Tom. III.

I

vini



vini vel etiam cerevisiæ nolentes volentes hauriunt, fibras totius corporis, ut fieri solet, relaxat, & illarum vigorem aliquo modo debilitat, insuperque relaxationi labores fortissimi, quibus ruricolæ in agris colendis & conscendendis montibus assueti sunt, accedunt, expandi necessario atque dirumpi peritonæum debet, ut ita intestina prolabantur, unde forsitan hanc ipsam etiam ob causam rupturæ Helvetiorum colonis præ cæteris hominibus familiariores sunt.

## §. V.

Hernias autem à solo lacte vel solis etiam laboribus provenire, nemo absque fundamento negare poterit. Licet non negem, quod dentur hernia laborantes multi, qui raro vel nullum plane lac assumunt, præsertim ubi accedit dispositio hæreditaria, vitæque sedentaria gaudent; sicuti experientia constat, sæpe infantes in quibusdam familiis, quibus affectus iste est hæreditarius, herniis implicitos in lucem edi, quales etiam apud nostrates permulti utriusque sexus ex integra occurrunt familia, qui per dies vitæ artificiosis bracheriis, nisi cultro seu operationi se submittere malunt, uti coguntur. Interim alimenta relaxantia, inter quæ utique etiam lac recensendum venit, corpus maximopere disponere, ut deinde ab aliis causis violentis accedentibus ruptura talis produci queat, extra difficultatem mihi positum esse videtur.

## §. VI.

Herniæ à violentia tanquam altera ex præcipuis, uti diximus, illarum causa subortæ, omnium authorum suffragio à nimium clamando, excessive tubas aliave instrumenta insufflando, fortius currendo, sustollendo, pondera portando, saltando, tussi, vomitu, partu laborioso & similibus prodeunt, & ut plurimum per dilacerationem hunc in modum fiunt, ut repletio scroti intestinis sæpissime subitanea modo cum modo absque dolore subsequatur. Quando autem contingit, ut talis hernia sensim sensimque major evadat, nec non per aliquod tempus citra dolorem augeatur, colligi potest, probabilius adesse annulorum processuumque peritonæi dilationem, per quam intestina erumpunt. Qua de re etiam Excellentiss. *Dn. D. Zwingerus in Teatro Prax. Med. P. I. p. 496.* ita scribit: *apud feminas tamen & pueros credimus plerumque hernias per laxationem, apud viros autem nunc per laxationem, nunc per veram rupturam contingere*: & harum priores si ab initio statim commoda ligatura ac emplastris adstrictoriis tractantur, curari citra operationem posse; e contra vero, si tumor exinde subortus nimium excreverit, non facile per ista remedia, curationem absque cultro chirurgico admittere, observationes docent.

## §. VII.



## §. VII.

Necessaria autem quam maxime scitu hic est vera hujus morbi cognitio & ab aliis ipsum ferme æquantibus distinctio; utpote sine qua multa ægroto evenire mala possunt. Nam quando confunderetur bubonocèle cum bubonibus, & operationem aliquis bubonum in bubonocèle susciperet, funestum curationis exitum, ob læsionem intestinorum, loco præsumptæ materiæ purulentæ in bubonibus contentæ experiretur. Dignoscitur autem hernia imprimis bubonocèle à bubonibus, cum ægroto signa venerea, gonorrhœaque vel benigna vel virulenta sæpissime & plerumque bubones vel antecedentia vel comitantia non adsunt, & tumor hinc enatus leni digitorum pressioni cedit, atque intestina in abdomen aliquali strepitu recidunt; at, si adest strangulatio intestinorum, quæ sæpius inflammationem seu ruborem cutis, similitudinemque tumoris bubonum præ se fert, difficulter hi morbi à se invicem discernuntur. Quapropter ad clariorem horum distinctionem authores haud raro hoc in casu suadent, ut assumatur laxans quoddam, quo innotescat, num excrementa per alvum excerni queant, quia, cum adest hernia, præprimis incarcerata, vel raro vel nunquam id fieri potest; aut etiam, an æger insigni dolore atque torminibus colicis torqueatur, juxta *Dionem in operationibus chirurg. demonstrat. IV. p. 344.* ubi præter hæc addit: *herniam inguinalem comitari vomitum, & tanta quidem cum vehementia, ut excrementa fetida relictis viis ordinariis per os ejiciantur: & vomitum, quamdiu incarceratio continuat, urgere: porro, subito provenire bubonocelen, bubones autem sensim atque sensim augeri.* Hernia scrotalis signa habet haud absimilia, sed facili negotio propter regionem a bubonibus distinguitur, dummodo ab hydrocele, pneumatocele, sarcocele aliisque herniarum speciebus rite dignoscatur. Princeps autem oscheoceles signum est, quando intestina per pressionem digitorum è scroto in abdomen redigi, testiculusque comprehendi potest, id quod in cæteris modo recensitis speciebus non contingit. Et si quando tales occurrant, in quibus intestina scroto accreta abdomini ita restitui nequeunt, testiculus tamen adhuc sentiri poterit. In aliis subjectis quantitas aquæ cum delapsu intestinorum juncta offenditur: in aliis item omentum seu epiploë (quæ hernia chirurgis enteroepiplocele tunc dicitur) intestina comitatur, id quod inde apparet, quando intestina in pristinum quidem locum rediguntur, aliquid tamen omenti vel aquæ in scroto remanet.

## §. VIII.

Hæ autem herniæ & bubonocèle & oscheoenterocèle longum per tempus citra multum molestiæ ferri possunt, interim tamen non omni carent periculo, qui iisdem affliguntur; de improvviso quippe à mala dixeta five



rebus flatulentis vel fermentescentibus ad expandenda intestina promptis, vel etiam à nimio excrementorum in intestina ejusmodi herniam formantia prolapsu, vehementer & ita quandoque expanduntur intestina, angusti autem annuli tantopere constringunt eadem, ut excrementa per ordinarias vias excerni nequeant; & sic in hernias incarceratas mutantur, quæ multis & insignibus symptomatibus atque doloribus obnoxia; quoniam illas, præcipue quando intestina remediis beneficioque manuum ob eorum strangulationem aut repletionem ab excrementis atque compressionem annulorum in suum redigi locum non possunt, brevi passio iliaca sive miserere mei, inflammatio & hanc tandem gangræna excipit, quæ omnia, imprimis si non à principio statim operatione succurritur, tristem exitum, sæpissime & plerumque mortem ægro causantur.

## §. IX.

Implicitus interim hernia sive completa, sive incompleta, si operationem abhorret, ad damna, lethum crebrius minantia, præcavenda, bracheriis, seu subligaculis uti cogitur, quorum multa nova & utilia citra multum oneris portanda à chirurgis sunt inventa. Maximam vero inter cætera laudem meretur inventum chirurgi augustani *Dn. Reisi* artificiose elaboratum, quod delineavit *Widemannus in suo Trino perfecto p. 114. fig. III. n. 1.* Alias ligamina accurate sculpta offert *Dionis in operat. chirurg. p. 316. fig. XXI.* Varia item *Heisterus in chirurgia sua p. 619. Tab. XVI.* exhibet. Sed cum singula singulorum authorum recensere hujus loci non sit, ideo peritorum judicio relinquo, quale ex illis sibi eligere velint, modo pro circumstantiarum respectu idoneum, & quidem tale fabrefaciant, quod magnitudini atque figuræ tumoris omni ex parte respondeat, quodque egressu intestinorum cum in bubones, tum in scrotum prohibito, æger sine multis incommoditatibus portare hincque victum quærere, aliisve negotiis fungi possit. Quod si æger trigessimæ ætatis annum nondum excesserit, ipsum mediantibus hisce bracheriis remediisque adstringentibus sanatum haud raro fuisse experientia testatur. Arcanum quoddam pro curandis citra sectionem herniis tradit *Dionis l. c. pag. 321.* consistens in *Spiritu salis rectificato & emplastro quodam à Dn. Priore de Cabrieres* aliquot abhinc annis adinvento, & Galliarum Monarchæ communicato. At vero quid in senibus fere omnibus hæc remedia præstent, perspectum satis est; non enim abnuo, multum ea efficere posse in junioribus, & in herniis maxime a dilatatione peritonæi provenientes, ast non item in adultis, suffragante *Dione l. c. p. 327.* Exiguo quoque & nulli fere, nisi in herniarum initiis & infantibus, usui sunt apud Helvetiorum ruricolos, qui si liberatos ab hoc malo se cupiunt, ad sectionem progredi adiguntur.

## §. X.



## §. X.

Quæcumque autem operatio pro sublevandis ægrotis eligitur, sine magna tamen difficultate institui non potest, quoniam ea fit vel cum extirpatione testiculi, vel sine ea; ubi quandoque accidit, ut malum in uno eodemque statu permaneat, vel magis adhuc exacerbetur, & æger, qui ante operationem oscheocele laboravit, postea inguinali affligatur, potissimum si victus misero necessarius laboribus vix non herculeis comparandus est. Profecto apud ruricolos nulla operatio, neque punctum sic dictum aureum, neque scarificatio annullorum in hernia completa servato testiculo adhiberi sine recidiva potest; teste Schurigio in *Spermatolog. histor. med. Cap. VIII. p. 363.* ubi introducit *Wolfgangum Christiani*, qui idem etiam in colonis seu rusticis Helveticis, magnis laboribus assuetis annotavit, & in *Manibus Baglivianis, Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. §. VI. append. p. 111.* ita scribit: *Vix ulla gens herniis magis obnoxia est quam Helvetiorum Coloni. causa facilis: vix enim datur gens, quæ tantos, nedum majores in colendis agris sustineat labores. Absque sectione nullum memini me vidisse curatum colonum absque recidiva; impares enim sunt membranarum fibræ, semel ultra modum expansæ, sustinendis conatibus, quos miseri hinc fodiendo, arando &c. subeunt, neque est proportio inter horum violentiam & artificium constrictionis à medicamento factæ. Ob eandem forte rationem in Nosodochio Bernensi usitata est, & publica almae facultatis autoritate introducta herniotomia, cum amputatione testiculi, quia neque punctum sic dictum aureum, neque Thevenini sectio, aut alius quicumque servato testiculo operandi modus visum est sine recidiva sanasse. Monendi porro sunt hac occasione herniotomi, ut in ejusmodi ruricolis præcipue processum peritonæi ligent, quam proxime fieri potest abdomini, ni cum opprobrio suo in agris paulo post illorum dimissionem loco oscheocele videre malint bubonocelen.*

## §. XI.

Quod vero castrationem concernit, dicimus & consentimus, omnibus fere illam nisi summa requirat necessitas, non debere admitti. Neque enim vel ex causa politica, turcis consueta, ne cum uxoribus suis, quibus observandis destinati sunt, commercium castrati habeant, neque ex causa italæ usitata ob suavem scilicet sonoramque in cantando vocem acquirendam atque retinendam, neque etiam levem ob causam in medicina, homo tam nobili parte privari debet. Sic in oscheo- & bubonocèle, de quibus hic sermo est, castratio præcipue in illis subjectis, quæ diæta & vita sedentaria frui, commodisque subligaculis per vitæ suæ spatium uti valent, non necessario requiritur. Præprimis vero suscipienda non est, quando quis utroque in latere laborat, quia cum talis præterquam quod vitæ periculo expona-





ponatur ad prolis generationem ineptus plane fiat, illæsa conscientia vix peragi possit, quam etiam ob rationem consentiosorum chirurgorum, de quibus circumforaneos, Agyrtas, &c. excipimus, nemo eandem in se facile suscipiet.

## §. XII.

Sed miseri ob hunc affectum helvetiorum ruricolæ considerandi nobis sunt ulterius veniunt, qui herniæ fidem fere humanam superantibus interdum premuntur; haud raro enim intestina vix non omnia in scrotum prolabantia, adeo illud extendunt ut absque stupore ejusmodi hernia haud possit aspicere. Membrum sæpe virile fere totaliter absconditur, ita ut non nisi foramen, per quod urina mittitur, de eo appareat; quandoque si in ejusmodi statu misero duris adhuc laboribus agitantur, faciliè tamen miserere vel strangulationi intestinorum ansa subministratur. Adde quod etiam eo quo fruuntur, victu excitentur tormina, arctæ insuper bracheriorum ligaturæ illos arceant à laboribus, sudor quoque à fortiori nisu & labore affluens subligaculum madefaciat, unde insignes molestiæ ortum trahunt. Per madefactum enim subligaculum & fortiorem motum cutis inter laborandum insigniter atteritur, & exinde producta vulnuscula tam urenti & acuto dolore eos excruciant, ita ut semper operationi se subicere, quam tantis doloribus obnoxii continuo vivere malint.

## §. XIII.

Aggrediamur itaque operationem ipsam & examinemus, quænam operandi methodus institui possit in Helvetia. Veteres adinvenerunt quamdam cum testiculi amputatione, quæ etiam ceteris optima & maxime secunda in Helvetiam introducta, & si necessitas & magnitudo herniæ id postulant, hodiernum adhuc usitata est, modo non in subjectis utroque latere herniosis suscipiatur, cum extirpato tantum altero testiculo quisquis fere cæteris paribus ad prolis generationem adhuc aptus sit. Recentiores vero ad partem hanc tam nobilem conservandam, aliam excogitarunt; ast non in nostris æque regionibus subjectisque, ac in aliis, quæ vita quieta atque sedentaria fruuntur, nec etiam in hernia completa desideratum inde successum chirurgos experiri, constat: hanc vero sine castratione operationem vocarunt punctum aureum, à filo aureo, in operationibus adhibito; quod tamen inter multos multæ turbæ ortæ sunt. Alii namque contenderunt de filo cerato, alii de plumbeo &c. Sed quid de hoc operandi modo censendum sit, experientia demonstrat; scilicet quando ægrum pro solita in castratione postura, disponunt, introductis in abdomen intestinis, incisionem longitudinalem ad processum peritonæi detegendum faciunt, eoque aliquatenus, ita tamen, ne testiculus extrahatur, separato, partem  
ejus

ejus superiorem filo isto vel aureo, vel plumbeo, quo descensus intesti-  
 norum prohibeatur, constringunt: jam vero, si (utpote in quo rei car-  
 do vertitur) processus iste aliquantum nimis constringitur, vasa sperma-  
 tica comprimuntur, testiculusque hac ratione inutilis æque ac in ejus ex-  
 tirpatione redditur. Si autem processus non satis ligatur firmiter, inte-  
 stina rursus penetrant, malumque cum pluribus exinde oriundis doloribus  
 recrudescit. Et si jam fila ista vel aureum, vel plumbeum rite stringun-  
 tur, vulnus tamen continuo irritatur, præcipue apud nostrates colonos,  
 quibus quando non fortius peritonæi processus ejusmodi filo constringere-  
 tur, crebris, quos laborando edunt, motibus & intestinorum impetu  
 perfacile istud depelleretur, unde tandem de novo herniis vel incompletis  
 vel prorsus completis cruciarentur. Hæc etiam operatio nullius pretii est  
 in infantibus; quando enim peritonæi processus fortiter, prout in infan-  
 tibus ob nimium clamorem &c. requiritur, ligatur, vasa spermatica, cres-  
 centibus annis augeri solita, ab incremento coercentur, & ita tandem  
 testiculus pari modo inutilis redditur. Proinde consultius statim est, ope-  
 rationem veterum, magnitudine, & dolore, & circumstantia tam herniæ,  
 tam subjecti urgentibus, eligere, quam duabus vicibus cultro, periculo  
 tantisque doloribus exponere miseris.

## §. XI V.

Secundo loco operæ pretium quoque erit alteram recentiorum operatio-  
 nem paucis percurrere, quæ nimirum per scarificationem annulorum præ-  
 fertim in bubonocèle, & meliori quoque cum successu, quam per punctum  
 istud aureum instituitur, dummodo extensio vel tumor non magnus sit, a-  
 lias enim tanti, quanti prior, effert pretii: siquidem qua ratione demum tam  
 arcta fieri possit per scarificationem constrictio, creditu adhuc difficile est,  
 licet enim annuli, ut eo melior arctiorque attrahatur callositas, dissecentur,  
 perfecta tamen Hernia laborantium neminem præsertim in Helvetia cura-  
 tum sine recidiva fuisse observationibus patet. Aliter vero se res habet in  
 Misere ac Hernia Inguinali, ubi jure meritoque commendari hæc opera-  
 tio potest, eumque in modum à plurimis peragitur. Scilicet quando æger  
 pari ac in castratione positura nempe supinus, quo caput pedibus sit profun-  
 dius, jacet, incisio fit super istum tumorem longitudinalis, ita tamen, ut  
 nulla non cura ne intestina lædantur adhibeatur, ad detegendum Peritonæi  
 processum. Immissis postea ex processu in abdomen, si adhuc in eo conti-  
 nentur, intestinis, minister quidam præcavet manibus, ne intestina iterum  
 egrediantur, fortiter premendo in regione annulorum. Operator enim im-  
 mitit annulis itinerarium, per quod curvus aliquis culter intrusus illos dila-  
 tat, inciso etiam, si opus est, Peritonæi processu. Quando autem intestina  
 strangulata adhuc deprehenduntur, per apertos prius annulos in abdomen  
 restituantur, annuli autem ad firmiorem consolidationem deinde scarifican-  
 tur,



tur, & hac ratione τ̄ Miserere vel Herniæ Inguinalis operatio p̄eruntque perficitur, eaque peracta commodis ligaturis deligatur vulnus, usque optatum curationis finem attingit celotomus.

## §. X V.

Tertia denique operandi methodus, magnam imprimis in Herniis à dilatatione intimæ Peritonæi lamellæ provenientius laudem meretur. Operatio vero hæc est: nempe supra tumorem intestinis refertum fit incisio, tum famulo quodam, ne intestina in abdomen recedant, præcavente, Chirurgus exteriorem Peritonæi processum ad detegendum intimæ ejusmodi lamellæ, quam digitis prehendit, sacculum, præcidit, factaque culcro annulorum dilatatione, intestina in abdomen retrudit, postea prope annulos prudenti circumspeditione sacculum solummodo acu filo stipata perforat, illumque fortissime filo, quod aliquot pollices è vulnere propendere debet, constringit, ut intra quatuor circiter dierum spatium fieri separatio possit. Tandem properat Chirurgus ad ligaturas & diligenti opera recentes singulis diebus, usque dum æger liberatus à malo est, applicat. Pari modo etiam in sexu sequiori, ut & in Miserere Parentem meum procedere repetitis vicibus vidi. *conf. Excellentiss. DN. D. von Muralt Schrifften von der Wund-Arztney pag. 692. de femina quadam Miserere implicita: & operationes Chirurgicas dilectissimæ Parentis mei Freytagii l. c. pag. 744. Annot. XV. & XVI.* Hanc vero operationem in aliis quoque Herniis adhiberi posse, sequens indicabit observatio. *Die II. Aprilis 1713. Honoratissimus parens meus ad operationem suscipiebatur Ulrich Werlin, einem Zimmermann von Wohlhausen, utroque latere herniosum, qui in juventute sua ab herniotomo quodam in altero latere cum extirpatione testiculi tam infansito sectus fuit sidere, ut osubocele progrediente etate in bubonocelen mutata, consilium alibi auxiliumque ob perceptum inde dolorem petiturus, parentem meum adiret, rogitans, ut ipsum deuo operationi, & quidem utriusque lateris subjiceret, quoniam vero parens meus hunc castrare hominem religioni sibi ducebat, isteque bracheris acquiescere volebat, tandem cum Deo & quidem tam exoptato cum successu fuit aggressus, ut servato altero testiculo integræ sanitati restitutus æger sine ullo postmodum incommodo expadire expedienda vel in conjugio potuerit.*

## §. X V I.

Ultimo loco castrationis ponderanda nobis adhuc occurrit operatio; quia vero quantum satis, exposita in omnibus fere authoribus chirurgicis proditur, eapropter multam ejus mentionem facere superfluum fore duximus. Tantummodo ergo paucula saltem huc vergentia addemus; periculosa autem atque difficilis sæpe est operatio, imprimis quando simul cum intestinis omentum elapsum, vel ista in processu accreta se præbent, unde perfacile

inte.



intestina cum processu peritonæi filo isto una constringi ac operationi lethalem exitam causari possunt. Preinde caute hoc in casu chirurgus circumspiciat, ne cultro intestinum quoddam lædatur, & tutius est, digitis, si modo, intestinorum ne lacerentur, ratio habeatur, ad separationem quam cultro uti, cujusmodi etiam operationibus plurimos parentem meum subjicientem vidi. Quippe ut unico saltem vel binis exemplis rem illustrem: Anno 1710. d. 9. Augusti, juvenem quemdam von Franckenberg, hernia aquosa cum intestinali conjuncta laborantem sectioni subjecit Parens Meus, in qua post separatam peritonæi processum intestinum aliquod accretum deprehendit, quo caute etiam separato, processuque fortiter filo ligato, ægrum intra tres hebdomadas sanum sospitemque dimisit. Nuper etiam ejusmodi casus per literas paternas factus sum certior; ita autem loquitur, dilectissimus Pater Meus: utperrime à splendissimo Collegio mihi puer quidam magna imò stupenda hernia implicitus in nosodochium ad operationem tradebatur, quam etiam subsequenter aliquot diebus, & quidem, quod extrema necessitas ob ejus magnitudinem exigebat, cum testiculi amputatione peregi; at cum separatius processum in eo aliquid omenti vel intestinorum tactui resistens deprehenderem, processus feci aperturam, in quo intestinum ileum illi accretum latere vidi, illudque omni cura & accuratissime separavi. Quod inde conjicere licuit, quia post separationem digitum meum in abdomen cum intestino intrudere potui. Processu hinc ligatura munito haud multo post tempore felicissime restitutus est; hujusmodi jam observationes quam plurimas recensere adhuc possem, nisi vela contrahenda essent.

## §. XVII.

Difficilem quoque reddit operationem omentum cum intestinis in scrotum usque exporrectum; quoniam in operatione absque amputatione testiculi, processu peritonæi aperto, aëri exponitur & ab eodem alteratur. Sed his, ne alteratum in abdomen intrudatur, incommodis ita in operatione prævenitur. Pars omenti, quæ se apertam in intima peritonæi la nella præbet, adhuc ex abdomine extrahitur, dein filo quodam, quod e vulnere adhuc propendat, ligatur, infra ligaturam amputatur omentum forcice, & sic repetitis singulis diebus, ligaturis, expectat chirurgus separationem, quam sequitur curatio. Quandoque omentum in insigni longitudine propendit, ita decem circiter pollices longam omenti partem in viro quodam von Danicken, 40. annos nato, Tiguri anno 1714. abscissam à parente meo perspexi, qui tamen sine ullo subsequenti sanitatis detrimento curatus fuit.

## §. XVIII.

Restat ut sub finem adhuc sequioris sexus hernias, quarum ob victum & dispositionem hæreditariam tot apud Helvetios, quot alibi in maribus occurrunt, brevibus contemplemur. Aliam enim prorsus operationem requirere quam



quam illas marium positum extra litem est. Fit autem ista in iis, quæ incommoditatibus bracheriorum torqueri nolunt; hunc in modum: ut post factam incisionem longitudinalem detectus peritonæi processus, intestinis in abdomen retrusis, filo vel cerato, vel bombycino perfigatur, fortissimeque postmodo ligatus forfice abscindatur, & sic ligaturis singulis diebus usque ad plenariam ejus curationem vulnus muniatur. Cæterum plures omnibus recensitis operationibus addendas cautelas &c. imo observationes jam tacemus, quum dissertationis meæ filum ob causas prægnantes abrumpere cogar non nisi hoc efflagitans, ut L. B. hæc pro ingenii mei tenuitate de Helvetiorum potissimum herniis in medium tumultuose prolata serena fronte accipiat.

T A N T U M.



DIS

L X L

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,

D E

HERNIA INCARCERATA,  
NOVA ENCHEIRESI EXTRICATA.

*Quam Præfide*

ELIA CAMERARIO,

*Tuebatur*

B. D. MAUCHART,

Tubingæ die 7 Januar. ann. 1722.

K 2

